

1+2 / 82

KALENDIS FEBRVARIIS

MCMLXXXII



RVMOR VARIVS



TOMUS 5

FASC. 33

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in aedi-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:
(annuum)

In Helvetia	Fr. 12.--
In Germania	DM 16.--
In Austria	ÖS 120.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 18.--
In terris trans	
maria sitis	U\$ 12.--

Singula specimina qui
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:
(jährlich)

Schweiz	Fr. 12.--
Deutschland	DM 16.--
Oesterreich	ÖS 120.--
übriges Europa	Fr. 18.--
Uebersee	U\$ 12.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Omnibus verbis, quae hic fasciculus continet, hoc unum
antepono: Novus annus vobis faustus felicissimusque eve-
niat!

Rumor Varius nunc quintum annum floret, quod in fronte
uniusquisque libelli hoc anno indice "tomus 5" memoretur.
Eodem loco semper numerum fasciculorum adhuc editorum ad-
ditum invenietis. Fasciculus autem, quem manibus tenetis,
tricesimus tertius est!

Nos omnes, qui Rumorem Varium edendum curamus, speramus
libellos adhuc editos quam maximo numero legentium gaudio
fuisse. Pollicemur nos et in futurum tempus operam datu-
ros esse, ut quisque libellus ratibus partis suis maxime
inter se diversis cuique legenti aliquid lectu dignum
animumque delectans offerat.

Cui merito, cari legentes, si prioribus libellis semper
delectabamini? Cui merito, si numerus Rumorem Varium sub-
notantium in dies augetur? Profecto non solum sociis ope-
ris, qui collegium redactorum insident, sed multo magis
iis legentibus, qui nobis ratas partes Latine compositas
Rumore Vario divulgandas mittebant, mittunt, mittent! His
est maxima laus, gratia maxima tribuenda!

Ne plura dicam: Hoc novo anno seriem fabularum titulo
"Facete lepideque dicta" divulgare incipiemus. Quae se-
ries e fabulis alacribus paucorum verborum constat, qui-
bus auctor, socius noster operis Berolinensis Amicus,
animos illorum in primis, qui narrationes paucarum li-
nearum legere malint quam multarum, delectare velit.
Ita fit, ut in Rumore Vario futuris temporibus praeter
narrationes longas etiam breves inveniatis. Valet!

U. Aeschlimann

Litterae ad legentes

AMICI NUNTIUS LEGENTIBUS BENEVOLENTIBUS

AMICUS, natione Germanus, civitate Berolinensis, omnibus suis legentibus cum praesentibus tum futuris benevolentibus faventibusque ubique locorum terrarumque gentiumque, imprimis autem (con)foederatis suis Helvetiis carissimis, spectatissimis, filiis filiabusque e stirpe Guilelmi Telli praeclari, praestantis, praecellentis, propugnatoris, defensoris, servatoris soli patrii Helvetici sacrosancti, salutem plurimam dicit, nuntiat, adscribit, impertit, admandat, mittit, offert, ominatur faturque. Feliciter Vobismet omnibus, macte virtute et diligentia, macte ingenio et animo, bonum factum, havetote!

AMICUS filiis filiabusque Helveticis etiam et etiam salutem! Die Saturni XXII^o mensis Augusti seu Sextilis anno MCMLXXXI^o in concessu festo Turici in oppido Helvetiae habito memetipso a sodalibus collegii redactorum commentariorum diurnorum quibus titulus "RUMOR VARIUS" in numerum redactorum plausibus clamoribusque communi consilio unaque voce unoque ore et consensu concordique omnium, qui adfuerunt, concentu sollemniter approbato et aggregato et adscito et plus aequo honorato laudibusque ornato hodie tandem laetitia abundante, fortuna secunda immensa omnino superatus et victus et oppressus grates laudesque agere persolvereque tribuereque meum est (officium). Auspiciam illud ex acuminibus bonum et laudabile et ratum, quod caelitus divinitusque accidit, libenter accipio. Optata mihi Deo volente contigerunt. Ex adyto tamquam cordis et ab imo pectore et summas et intimas et maximas, amici mei spectatissimi, gratias habeo viris illustribus collegii, viris omnibus his excellentibus, praestantibus summis ingenii facultatibus ornatis praeditisque, exempli gratia: Emanuelli Bernardo, doctori philosophiae celeberrimo, Georgio Blicario, doctori philosophiae spectabilissimo, Martino Maiori maxime colendo atque nominatim Udal-

rico Aeschlimanno, licentiate philosophiae valde observando. Omnibus his viris incomparabilibus de Latinitate colenda et provehenda summe meritis, clarissimis, optumis, maximis, etiam et etiam laudes offerre et agere et persolvere et tribuere mihi opus est cupereque, ut et protinus amicitiam, benevolentiam, favorem mihi assidue praebere pergant. Omnibus his viris benevole probantibus et iuvantibus memet munus sodalis collegii redactorum grato animo initurum et accepturum, munus observanter summaque cum fide obiturum et sustenturum et gesturum, munere magno bona sententia omni tempore functurum, muneri excelso assidue toto animo ac studio omni, omnibus viribus atque opibus ac nervis praestaturum esse affirmate polliceor, promitto, despondeo, voveo conceptisque verbis iusiurandum patrare mihi cordi est. Id enim agere, id spectare, hoc mihi proponere, ut Latinitatem colendam coniunctim provehamus per totam Europam, per totum etiam mundum, in totum orbem terrarum, in omne universum mihi maxime semper cordi erit. Singularem etenim studio colamus ad unum omnes Latinitatem ubicumque terrarum, divulgemus et in vulgus edamus elegantiam linguae Latinae quoquo gentium locorumque. Qui est virtutis fons? Fontem enim virtutis studium bonarum artium esse constat, id est ingenium excolere disciplinis. Haec est vera varietas, vera universitas litterarum.

Dabam meapte manu, Berolini in urbe, die Solis I^o mensis Novembris anno MCMLXXXI^o.

AMICUS



De itinere maritimo nuper facto

Narrationis pars altera

Ab oppido Dubrovnik, cuius nomen multis annis ante fuit Ragusa, sub vesperum cursum tenuimus Cercyram (Korfu), caput insulae uberrimae arboribus floribusque, ubi per horas IV ambulabamus alii, antiquitatis curiosi, monasterium quoddam visentes, alii, ut ego, in maris sinu parvo natationem exercentes. Prima nocte navem iterum escendimus et in cenatione opulente iucundaque cenati tabulatum summum petivimus spiritum frigidum noctis ducturi. Nox quidem atra non erat, sed luna mirabilis visu ex aquis oriebatur tam pulchra, ut satiari vix possemus spectando, aura maritima quamvis frigidiore afflati neque tamen argentes, quippe qui amiculis satis tecti. Continenter spectans in mare lucidum aliquot horis post parte laeva necopinato altam longamque e mari surgentem conspexi umbram. Obstupefactus hominem quendam iuxta stantem interrogavi, quae umbra esset illa, et homo ignotus sermone Germanorum placide respondit: "Insula est Ithaca, patria, ut aiunt, Ulixi, quem cantavit, si ignoras, divus Homerus." Aliaque verba addidit, quae quidem ego iam non audivi; captus enim plane eram aspectu terrae illius propius paulatim accedentis, quam sub luna plena satis distinctam vidi, miratus quidem tam montuosam illam esse. Ubinam, mehercle, mecum volvi, domus regia Ulixi stare potuit? Vix video quicquam spatii satis plani ad construendam domum regiam, nec videntur ibi esse prata, ubi vescantur oves, nec arbores vel flores. Quam pulchram istam Ithacam mihi mente concepi quondam Homeri carmen legens! At quam pauperem, tristem, rudem adspectu nunc video! Per horam plus mediam Ithacam praetervehebamus, dum desinere nequeo mirari istam esse fabulosam insulam Ithacam, luna ascendente ad summum caelum, cum

tandem spectandi lassus somnum tenere iam non potui et uxori, ut cubitum eamus, suasi. Totam noctem, nisi fallor, Ulixem in somno vidi eiusque errores, et postridie mane uxor: "Quid tibi fuit proxima nocte? Locutus es, quin etiam clamasti et ululasti nonnunquam." - "Ego ululavi, inquis? Id miror. Consciis mihi non eram. De Ulixē somniavi." - "Tene Ulixem esse somniasti, quod iter maritimum facis? Tu quidem Ulixes non es, corculum meum, curare noli! Ulixes vir fortis erat, at tu homunculus timidus, periculorum fugiens, mi lepus!" - "Tibine contemptui sum, quod vir fortis ut Ulixes non sum?" - "Minime! Contra tu mihi carior es multo Ulixē, quem ut ceteros heroes Homeri nimis magniloquos fastidio. Ridicule robor corporis plurimi aestimabant, nostro tempore fortitudo e multo aliis constat virtutibus. Nunc autem surge tandem, lavare, calceos et vestimenta sume! Hora enim ientandi paene praeteriit."

Sors et Iuppiter serenus nobis arridebat toto die sequente, et iuvabat in tabulato summo cubare, interdum ambulare, in piscina ludis et natatione delectari, in abaco (Spieltisch) pilā ludere more Britannorum (Tennis), modo in taberna liquorum (Bar) iuxta sitā cerevisiam (Bier) vel aquam spumantem sorbere, modo aliud nihil agere nisi spectare circum mare placidum et immensum.

Medio fere die ora ingens insulae Cretae in conspectum venit et plus minus horam praetervecti sumus me summopere mirante, quam montuosa esset. Omnem enim insulam multo planiorem mente confinixeram et Ovidii carmen de Daedalo et Icaro in mentem mihi venit, locus imprimis ille, ubi cantat:

"Clausus erat pelago (Daedalus sc.) terras licet, inquit et undas obstruat, at caelum certe patet: ibimus illac."

Putabam mecum in insula tanta tamque multiformi et montuosa Daedalum, artificem tam ingeniosum, facile potuisse evadere scaphamque piscatoriam reperire, qua Graeciam patriam peteret. Sed si potuisset, concedo, Ovidius carmen de illo non scripsisset. Ergo in fabula illa ut in ceteris omnibus statui poetas e nihilo quasi finxisse omni tempore pulcherrima maximeque mirabilia neque quicquam in vita dignum esse, ut experiamur nisi visa imaginesque poetarum. Quid enim esset, ut aperte loquar, in vita nostra pulchrum absque poetis? Quid sine spe mentemque visis? Vivant poetae, pereat mundus! At si periret mundus, ubinam essent poetae?

Sub tertiam horam postmeridianam in portum Heraclion advenimus et nave relicta automobile grande descendimus locum petituri nomine Cnossos, ubi moenia diruta viserentur regiae domūs regum Minouum. Calidus nimis erat dies et sudabamus omnes. Attamen dux itineris peritusque historiae locorum multis verbis nobis exponerat nimisque longo sermone, quid significetur moenibus dirutis et nonnulli nostrum creduli eius verba attenti audiebant, ego minus. Vesperascente caelo tandem navis nostra nos recepit requiescendi et cenandi cupidos laetosque, quod actus esset labor durus circumeundi visendique loca antiqua. Supersedeo narrare, quantam voluptatem deinde e cenando, e vino Graeco bibendo sermonicandoque ceperim, ne nimis moliter vobis videar vixisse. Post amplam, diuturnam cenam festumque laetissimum paulisper in tabulato summo versabamur sub caelo stellato lunaque fulgente, cum de improvise homo quidam, qui antea inde a portu Venetiae semper taciturnus prope nos sederat, tamquam vocem non haberet, os aperuit et alta voce, velut divino spiritu inflatus, sidera caeli exponere coepit. Omnes, qui aderant, feminini generis imprimis, avidi avidaeque eius verba hauriebant, ora ad caelum tollentes tam continenter, ut denique cervices dolerent inusitato habitu, egoque uxori susurrarem: "Veni cubitum, quaeso!". Et cubiculum petivimus. Itaque

ignoro, quam diu ceteri conviatores in tabulato apud astrologum manere, torto colle sidera intueri verbaque illius audire sustinuerint.

At postero die unum et alterum animadverti conviatorum cervices suas manu fricantem. Nos autem totam noctem dormivimus ut mures Alpini (Murmeltiere), posteroque die non matutini, sed postremi in cenationem advenimus ientatum. Casu inter ientaculum per fenestram spectans ripam Asiae Minoris procul nitentem conspexi.

Cari legentes, si placebit, narrare pergam libello Rumoris Varii, qui edetur mense Aprili. Sin autem, quae adhuc narravi, fastidivistis, facite sciam amabo!

Dr. Emanuel Bernard

Facete lepideque dicta

Fridericus II, Borussorum rex, 1712 - 1786, Dresdae in oppido Saxoniae in "palatio" Henrici comitis BruehlII (vulgo Germanice: Heinrich Graf Brühl), 1700 - 1763, ministri Friderici Augusti, regis Saxoniae, 1670 - 1733, (qui Augustus Fortis dicitur) magnum numerum eius capillamentorum conspiciens ex improvise "Quantas, bombax meracle, inquit, copias capillamentorum pro viro, qui caput omnino non habet!"

* * * * *

Maria Anna Marquionissa de Defenso nata de Vico Campi Rotundi (Francogallice: Marie Anne Marquise du Deffand née de Vichy Chamrond), 1697-1780, cum in oeco eius - convivio peracto - socii sociaequae de miraculo Sancti Dionysii Parisiensis, patroni custodis urbis Lutetiae Parisiorum et totius Francogalliae, qui supplicio adfecto cum capite sub ala a Lutetia Parisiorum (a Monte Martyrum) quinque milia passuum usque ad hodiernum locum Fanum Sancti Dionysii migravisse dicitur, disputarent, compsissume: "Quod ad illam rem attinet, inquit, hac in re uti in omnibus rebus solum est primus passus, qui constat (qui difficultatem adfert) Francogallice: il n'y a que le premier pas qui coûte!)"

* * * * *

Saltatrix quaedam Americana opinionibus miris inflata litteras importunas scripsit Georgio Bernardo Schaw(io), 1856 - 1950, scriptori poetaeque illi illustrissimo Hiberno scurrili: se audivisse eum perfectissimum possidere cerebrum, se autem perfectissimum lepi dissimumque habere corpus. Ne occasionem a fortuna dextra propitiae datam dimitterent, ut qualitates has eximias in infante communi coniungerent. Georgius Bernardus Shaw(ius) rescripsit ad litteras verbis his: "Pro deum hominumque fidem, bombax mehercle, id nullo revera pacto fieri potest! Si nunc infans noster communis corpus meum, cerebrum autem tuum conciperet, casus calamitosus esset. Illius periculi imminentis causa condicionem tuam accipere non possum!"

* * * * *

Litterae ad legentes

Cari legentes,

paulo ante dies festivos, quibus Christum natum celebravimus, mihi erat militandum per tres hebdomadas illas notissimas cuique Helvetico. Hoste absente magis contra frigora, imbres nivesque, atque, quod est mihi atrocissimum, contra somnum fortiter pugnavimus. Miles nuntiaris (Nachrichtensoldat) qui sum, saepe in tentorio vel in cavea quadam per noctavi nuntios exspectans nos de motibus hostium certiores facientes. Qui cum advenerant, mihi erant scribendo transportandi in cartam, ut legati (Offiziere), ubi hostis moraretur, bene cognoscerent.

Sed quia, cum domi versor, noctu dormire soleo, corpori mentique vis a me inferenda erat, ne somno indulgerem. Quo in prohibendo somno nihil mihi adfuit nisi Latinitas, cuius ope opusculum insequens perfeci:

IN TENTORIO

In tentorio sedemus
dormiendi cupidi,
somno paene indulgemus,
venti perflant gelidi.

Hostis ubi sit, nescimus:
nil est ni inventio,
quemque nuntium audimus,
maxima est fictio!

De amicis somniamus
capti desiderio
lecti cenae cogitamus:
"Quid nos in tentorio?"

Libertatem servaturi
cruciamur frigore,
ne sint fines transituri
hostes olim facile.

Obdurate, heus, sodales,
omnia praetereunt:
dies pacis tam fatales
certe nobis venient!

Martinus Meier

Aenigma

Q V A D R A T V M M A G I C V M

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

- 1 instrumentum, quo hostes in bellis temporum praeteritorum aggrediebantur
- 2 materia Germanorum lingua "Elfenbein" appellata (Dat.Sg.)
- 3 Rumor Varius plurimis legitur
- 4 Nomen eius, qui nautis ventos secundos dat
- 5 mittere, 3. (Part.Perf.pass.Nom.Sg.f.)

Rectas huius aenigmatis solutiones in Rumore Vario 3+4/82 demonstrabimus. Ne eas nobis mittatis! Praemia enim quo quadrato magico recte soluto accipi non possunt.

Hoc aenigma composuit Ulricus Aeschlimann

Litterae ad legentes

Cari legentes,

paulo ante dies festivos, quibus Christum natum celebravimus, mihi erat militandum per tres hebdomadas illas notissimas cuique Helvetico. Hoste absente magis contra frigora, imbres nivesque, atque, quod est mihi atrocissimum, contra somnum fortiter pugnavimus. Miles nuntiaris (Nachrichtensoldat) qui sum, saepe in tentorio vel in cavea quadam per noctavi nuntios expectans nos de motibus hostium certiores facientes. Qui cum advenerant, mihi erant scribendo transportandi in cartam, ut legati (Offiziere), ubi hostis moraretur, bene cognoscerent.

Sed quia, cum domi versor, noctu dormire soleo, corpori mentique vis a me inferenda erat, ne somno indulgerem. Quo in prohibendo somno nihil mihi adfuit nisi Latinitas, cuius ope opusculum insequens perfecti:

IN TENTORIO

In tentorio sedemus
dormiendi cupidi,
somno paene indulgemus,
venti perflant gelidi.

Hostis ubi sit, nescimus:
nil est ni inventio,
quemque nuntium audimus,
maxima est fictio!

De amicis somniamus
capti desiderio
lecti cenae cogitamus:
"Quid nos in tentorio?"

Libertatem servaturi
cruciamur frigore,
ne sint fines transituri
hostes olim facile.

Obdurate, heus, sodales,
omnia praetereunt:
dies pacis tam fatales
certe nobis venient!

Martinus Meier

Aenigma

Q V A D R A T V M M A G I C V M

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

- 1 instrumentum, quo hostes in bellis temporum praeteritorum aggredebantur
- 2 materia Germanorum lingua "Elfenbein" appellata (Dat.Sg.)
- 3 Rumor Varius plurimis legitur
- 4 Nomen eius, qui nautis ventos secundos dat
- 5 mittere, 3. (Part.Perf.pass.Nom.Sg.f.)

Rectas huius aenigmatis solutiones in Rumore Vario 3+4/82 demonstrabimus. Ne eas nobis mittatis! Praemia enim quo quadrato magico recte soluto accipi non possunt.

Hoc aenigma composuit Ulricus Aeschlimann

S O L V T I O N E S

prioris aenigmatis

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:

Kurt Gertsch
Bahnhof
3860 Meiringen

secundum praemium:

Barbara Erdmann
Pflanzschulstr. 31
8004 Zürich

tertium praemium:

Beat Kuhn
Hofackerstr. 41
8544 Rickenbach-Sulz

R	E	B	E	C	C	A
A	P	O	L	L	O	N
V	I	N	E	A		D
E	D	O		V	E	R
N	A	S	C	I		I
N	V		A	S	I	A
A	R	A	R		T	E
S	O	D	A	L	E	

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.



Litterae ad legentes

Rochus parochus omnibus haec visuris, imprimis moderato-ribus et editoribus "RVMORIS VARIII", salutem dicit quam plurimam.

Iam longum tempus elapsum est eo die, quo nonnulla de Latinis sessiunculis Duisburgo-Huckengensibus me scripturum esse promisi. Interea autem conventus internationalis illius celeberrimae Romanae "Academiae Latinitati inter omnes gentes fovendae" Augustae Treverorum actus est, cui cum aliquibus sodalibus aderam. Primo die, dum optima vina nobis proposita gustamus, ex adverso sedi P. Piacentini, redactoris "Latinitatis", illius periodici Vaticani, qui ex colloquiis nostris comperuit nos regulariter ad Latine colloquendum congregari. Ab illo viro humanissimo rem rogatus haec conscripsi, quae Vobis quoque mittere audeo.

Notum sit Vobis me identidem specimina "RVMORIS VARIII" impatienter exspectare.

Optime valete Deo Vos sospitante, qui filio suo homines redemptum misso omnibus Vobis det annum vere salutiferum.

Dabam Duisburgo, die X^o mensis Decembris AD MCMLXXXI^o.

Rochus N. Habitzky parochus

In periodici, quod "VOX LATINA" inscribitur, fasciculo 59 (tomus 16 - 1980 -, pagina 87) haec inveniuntur promulgata:

REGVLARES CONVENTIVNCVLAE LATINAE:

Latinitatis amantes, qui viva voce Latine inter se colloqui desiderant, semel in mense, id est ultimo die Veneris uniuscuiusque mensis hora septima postmeridiana congregari solent Duisburgi in caupona "Aulae Balcanicae" (Balkanhof), quae invenitur in suburbio Huckingen(s).

Tramine ferriviario advecturi exeant in statione ferriviaria principali conscendantque raedam transviariam "909" aut "79" usque ad stationem Huckingensem: "Huckingen - Albertus-Magnus-Strasse". Autocinetis suis strata autocinetica "A 3" advecturi exeant in compito autocinetico "Breitscheid", deinde via foederali "B 288" Crefeldiam (Krefeld) petant, sed exeant simulatque compitum huius viae et viae foederalis "B 8" attingerint, quam ad septentriones versam arripiant per spatium unius chiliometri (ex flexu, quo "B 288" relinquitur, ad laevam vertendum est).

Si quis plura comperire et cognoscere desiderat, interroget Rochum Habitzky, parochum, (Albertus-Magnus-Strasse 7, 4100 Duisburg 25 - Huckingen), cuius numerus telephonicus est hic: 0203/781430.

Quarum conventiuncularum origo est haec:

Anno 1973 in Germania instinctu Georgii Paucker primum seminarium vivae Latinitatis institutum est, post quod annis insequentibus usque adhuc 29 alia habita sunt P.Dr. Caeleste Eichenseer OSB unumquodque moderante.

Qui multis annis post scholarem instructionem tale seminarium participat, comperit se quidem verba et sententias inde ab initio percipere et intellegere neque vero se ipsum loqui posse, cum sibi verba vocabularii activi, quod dicitur, desint. Paucis autem diebus interiectis facultas ista nascitur ac in dies augetur, sicut iterum iterumque experti sumus. Eo vero temporis momento, quo linguae solvuntur, seminarium plerumque ad finem vergit sive finitur et plerisque occasio Latinam linguam viva voce adhibendi tollitur. Non omnis enim tantopere delirat quantopere hic relator, qui spatio unius anni tot telephonemata Latina habui, ut praeter telephonicas expensas usitatas mille quingentae marcae Germanicae occidentales mihi essent erogandae. Exortum est ergo in amici cuiusdam animo atque meo desiderium pluries conveniendi, ne, quae in seminariis didicimus, vertente anno oblivioni darentur. Quod consilium ilico opere effectum est. Litteras

ad nonnullos dedimus amicos et notos, quibus invitavimus, ut statuta die in cauponam quandam convenirent ad colloquia serenda eademque Latina. Ecce exeunte mense Octobri anni 1979 octo aderant sodales, qui mirantibus et stupentibus aliis hospitibus tam hilariter, tam alacriter, tam sui obliti vetustissima illa lingua sunt usi, ut quidam eorum, cum a puella cauponia de potionibus interrogaretur, (Latine!) responderet: "Alteram lagoenam!"

Constituimus ergo, ut exin semel in mense congregaremur. Quamvis unoquoque anno exeunte omnes colloquiorum sodales de conventiuncularum diebus certiores fecerim, tamen singulos ad unamquamque sessiunculam seorsum in scriptis invitare soleo, quo id efficitur, ut numerus noster non solum non sit minutus, sed etiam sit auctus ac usque augeatur. Adest e.g. iurisconsultus Coesfeldiensis, qui loo circiter chiliometra sunt vehenda, adest typographus, cui 40 chiliometra sunt emetienda (neuter umquam deest!), adest argentarius, adest ingeniarius structurae machinalis, adsunt duo sacerdotes, adest mercator, adsunt magister et magistra Anglicam linguam docentes, adsunt etiam quinque Latinae linguae magistri, ex quibus unus cum quinque vel sex discipulis discipulabusve apparere solet, adsunt quoque quattuor camilli ex parochia mea oriundi, quibuscum in sacristia non colloquor nisi Latine.

Hoc non solum mihi, sed etiam omnibus sodalibus firmiter est persuasum: Somnient alii de vivacitate, vegetatione, vitalitate Latinitatis - apud nos sermo Latinus est vivax, vegetus, vitalis. Utinam ubique terrarum fiat ac sit!

Haec sunt, quae P.Piacentini OFM rogante conscripsi prope diem in Vaticano periodico, quod "Latinitas" inscribitur, in lucem edenda.

Rochus Habitzky, parochus

Narrationis

DE SOCRATE PHILOSOPHO

pars altera

DE SOCRATIS DAMNATIONE

Socrates postquam ante iudices causas disseruit, e quibus se accusatum esse putabat, Athenienses adhortatus est, ut considerarent, quanto eis usui esset quaestiones suae et quid efficerent, si se interficerent:

"Scitote, o Athenienses, si me interficeretis, talem hominem qualem vobis descripturus sim, maius damnum vobis ipsis afferretis quam mihi. Non puto accusatores meos mihi damnum aliquod allaturos esse. Quod efficere non possunt, quia fieri non potest, ut peior homo meliori noceat. Scilicet me supplicio afficiendum vel in exsilium mittendum curare vel honores civis mihi eripere possunt. Quod forsitan eis vel aliis magnum malum videatur, ego quidem malum non puto, sed multo peiora esse mihi videntur, quae accusatores nunc faciunt: hominem enim iniuste interficere conantur. Itaque, Athenienses, minime mea causa me defendo - ut fortasse vobis videatur -, sed vestra gratia defensionem meam suscipio, ne me damnato in donum, quo Apollo deus vos donavit, peccetis. Si me interfeceritis, haud facile alium invenietis, qui urbi a deo dono datus unumquemque vestrum in dies assidue excitet et vituperet et vobis persuadeat, ut virtuti studeatis. Talem hominem vix iterum invenietis; qua de causa mihi parceatis, si fidem mihi habere vobis placebit.

Fortasse indignamini eorum hominum modo, qui somno excitantur et quibus accusatores nunc facile persuadere possunt, ut me interficiant. Inde vitam futuram dormientes ageritis, nisi Apollo vobis providens alium mitteret, qui vos excitaret. Me urbi a deo donatum esse etiam ex his cognoscere potestis: Non solent homines agere pariter ac ego: meis rebus non curo

et per multos iam annos meas res domesticas neglego et nihil nisi vos mihi curae estis, cum unumquemque vestrum admoneo, ut virtuti studeat, patris vel maioris natu fratris modo. Si e tali actu fructum perciperem et vos adhortans mercedem acciperem, incepta mea aliquo modo explicari possent. Sed ipsi videtis accusatores, qui alias multa mihi crimini dant temere, non posse testibus prolatis sententiam temerariam afferre me umquam pecuniam accepisse vel petivisse. Paenuria mea maxime testimonio est me verum dixisse. Videtur fortasse difficile intellectu me circumeuntem singulis consilia dare et multas in res me interponere, in vestra autem concilia plebis prodire et rei publicae consilia mea dare non audere. Causa eius rei est vox aliqua divina in me ipso iam a pueritia, quae, cum auditur, dissuadet, ne ea, quae acturus sum, conficiam; numquam autem me adhortatur, ut aliquid agam. Illa vox me impedivit, quominus rebus publicis (1) studerem, et existimo bene evenire, ut impediatur illis rebus interesse. Non enim haec ingoratis, Athenienses: si prius rebus publicis studuissem, iam dudum interissem neque vobis neque mihi usui ulli fuisset. Ne irascamini mihi verum dicenti: Accidere non potest, ut homo, qui impediturus, ne in urbe sua iniuria aliaque contra leges fiant, vobis vel alii turbae hominum animo libero obviam it, vitam servet. Pugnanti pro iustitia necesse est vitam non in medio (2), sed abditam agere, si per breve tempus vitam servare vult." Quam veraciter Socrates eis verbis, quae postremo legistis, locutus sit e fato multorum hominum cognosci potest, qui vel sententias probas vel ipsam iustitiam sive contra temeritatem turbae sive contra gubernatores civitatum vi plus quam iustitia regentes defendere ausi sunt neque improbis factis vel sententiis cesserunt proptereaque in carceres coniecti vel etiam interfecti sunt (et usque adhuc in quibusdam civitatibus coniciuntur et interficiuntur). Athenis in causis (3) agendis numerus quidam iudicum et civibus sorte eligebatur. Quorum suffragio iudicium accusatoribus accusatisque auditis constitutum est. Ante iudicium ultimum bis in suffragium ire solebant: Primum iudicabatur, utrum accusatus noxius esset necne; si noxius erat iudicatus, in secundo suffragio poena statuta est. Athenis licebat reo, qui

noxius erat iudicatus, poenam suam aestimare (4).

Socrates postquam primo suffragio, quamvis diligentissime se defendisset, noxius est iudicatus accusatoribus supplicium postulantibus et ipse poenam suam aestimavit his ferre verbis:

"Supplicio me afficiendum accusatores poposcerunt. Qualem nunc rogationem contra feram? Certe mihi aestimandum est, quid meritus sim. Qualem autem poenam vel multam mereor, quod suscepi meam vitam non quietam agere, sed contra (5) omnia, quae turba magni facit, neglexi, quod quaestus vel rerum domesticarum administratio, summum imperium (6) vel in concilia plebis loqui, magistratus vel factiones (7) et studia ad rem publicam evertendam, quae in urbe agebantur, mihi non cordi erant, quia ista non mea officia esse mihi videbantur? Itaque non eam rationem vitae igradius sum, qua neque mihi neque vobis usum attulissem. Immo operam dedi, ut singulis vestrum maximum - ut mihi quidem videtur - beneficium praebere possem, cum unumquemque adducere conatus sum, ne rebus suis curaret, priusquam suis moribus curavisset, quomodo quam maxime probus et quam sapientissimus fieret, neve prius rebus urbis curaret quam urbi ipsi et ut in aliis quoque rebus eodem modo ageret. Quid nunc, quia talia feci, mereor? Certe, Athenienses, si vere iusti esse vultis, aliquid boni, quod me dignum sit. Quo autem hominem beneficium, qui egens et cui otio opus est, ut vos adhortetur, donare decet? Nihil tali homini plus convenit, quam ut ei cena cottidiana publice (8) in Prytaneo (9) praebatur. Dubium non est, quin multo magis talia mereatur, quam si cui vestrum olympionicae (10) honores contingunt. Olympionices enim beatitudinem vobis parare videtur, equidem vos re vera beatos reddo. Praeterea illi cena in Prytaneo non opus est, mihi autem maxime. Si igitur rogationem iure ac merito feram, mihi cenam cottidianam in Prytaneo praebendam esse fero."

Iudices Socratis dicta animo comprehendere non potuerunt, sed tali rogatione se illudi putaverunt et ira exarsi philosophum capite damnaverunt.

- | | |
|---------------------------|---|
| 1) res publicae | hier Politik |
| 2) in medio | in der Oeffentlichkeit |
| 3) causa, -ae, f. | hier Prozess |
| 4) aestimare | vorschlagen, beantragen |
| 5) contra adv. | im Gegenteil, vielmehr |
| 6) summum imperium | Feldherrenstelle |
| 7) factio, -onis, f. | polit. Klub, Partei |
| 8) publice | auf Staatskosten |
| 9) Prytaneum | Curia Athenis. Ibi civibus, qui de civitate bene meriti sunt (olympionicis e.g.), cena cottidiana publice praebebatur. Quam Athenienses maximum honorem habebant. |
| 10) olympionices, -ae, m. | Sieger an den Olympischen Spielen |

Daniel Weissmann

VENETIAE

Metrum Asclepiadeum (tres Asclepiadei minores et glyconium)

Dormiēns placidē, filiōla aequorīs
atque humi tenuis, sidera somniās
nēniām simul et continuo modo
insusurrat aqua aviām.

Cum diluculum adest gaviae et evolant, 5
solvis caeruleam caesariem: ocius
separant fluviae pectine lucido
udam cymbae alacres comam.

Otium excutiens, immaculabilis 10
ut nymphaea procul munditia enites
in lymphis tremulis rorida nubibus
et levis fluitas palam.

Contra amantia heri naviculae nigras 15
amplexum calidum continuo fovent,
lallant adsidue naviculae vagae,
incunabula basii.

Aurat aeriā magnificentiā 20
thesaurorum oriens et speculum obviū
diluunt latices perspicuumque ibi
artis vestibulis vage.

Turris attribuit vim fidei sacra;
templum omne aureolum restituens precem
veracem folium ut virgineae rosae
gloriam Alti animo indicat.

Musivorum operum divitiās ubi 25
libro ceu vario celsa seges spei
aeterni via per caenum hominum patet,
divinae fabricas manus,

Marcique historias cuius imago erit 30
aetatis validus rex animantium,
absidas penitas et species pudens
mulcet cum aediculis nitōr.

Nubis cotidie tu placito mari!
Anulum alcyones attonitae inserunt 35
festis ponticulis dum innumeris greges
fabuloso hymenaeo ovant.

Interim lacrimis mille oculi uvidi 40
pura laetitia limina deterunt;
artium comites irreligatam erae
pulchritudinem obambulant.

Fúndulárum aquiló fólliculo in tuó
aevi praeteriti saepe silentium
gloria rutili non revocabilis
vocolam latebrorum alit.

Cuncta lucem inhiant: dum alam onychintinam
tendunt mirifica callainam iridem
arcuantque domus, ambitiosae aquae
marmora anteeunt gradum.

Templa sanguineus daedala bracteis
illustrat moriens sol. Adamantinae 50
in mentem veniunt victoriae simul
apparatae aquilae in vadis.

Lapuntur socias luminis ultimae
lintres. Dum anxiferum circuitum hauriunt 55
alites nivei divum agiles lavant
vesperae et cinerem avehunt.

Velamentum alium flumina vestiunt
ambitu tacito: dum umbrae adeunt ratis
calles noctivagae et suffugium sinunt, 60
dormiunt ubicumque aquae.

Florindo Di Monaco



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONO DATVM ALICVI
Factura subnotationis mit-
tenda est ad adressam infra
stantem.
(ich abonniere RVMOR VARIVS
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift:

für

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

1+2 / 82

KALENDIS FEBRVARIIS

MCMLXXXII



RVMOR VARIVS



TOMUS 5

FASC. 33